10.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
GENERALIA GYNAECOLOGIAE,
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

AC

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

IN ALMA, AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA PESTINENSI

PRO DOCTORIS GRADU RITE CONSEQUENDO

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

ANTONIUS REVICZKY,

HUNGARUS EX BÉNY STRIGONIENSIS.

PESTINI,

TYPIS JOS. BEIMEL.

ILLUSTRISSIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI UZOVICS DE PETEÖFALVA

S. C. R. ET APOSTOLICAE MAJESTATIS CONSILIARIO AULICO. J. TABULAE SEPTEMVIRALIS ASSESSORI J. COMITATUS STRIGONIENSIS ADMINISTRATORI AD R. SCIENT. UNIV. HUNGARICAM J. FACULT. JURIDICAE DIRECTORI

VIRO
PIETATE, BENEVOLENTIA,
HUMANITATE, ERUDITIONE
INSIGNI
MOECENATI OPTIMO
IN TESSERAM
PROFUNDAE VENERATIONIS ET
GRATITUDINIS TENUES HAS LABORUM
SUORUM PRIMITIAS
VULT HABERE SACRAS

AUCTOR.

INTRODUCTIO

IN

GYNAECOLOGIAM.

Dum sexum foemineum cum virili comparamus, eumque tum respectu anatomico, quum physiologico et pathologico perscrutamur; facile deprehendimus organismum muliebrem peculiariter conformatum proprio apparatu organorum instructum esse, qui in certos, et ad sphaeram reproductionis spectantes fines consequendos destinatus est.

Observabimus item non modo structuram organicam diversarum partium differentem, verum et functiones organico-vitales in hoc sexu essentialiter modificatas esse (seu differentiam deprehendimus physiologicam.

Ex hac diversitate structurae anatomicae, indeque pendentis modificationis physiologicae liquet sexus hujus fatum; juxta quod

a) Foemina specialibus, atque propriis destinata est morbis, qui idcirco nomen morborum sexualium sibi vindicaverunt, siquidem in apparatu sexuali, hujusque functionibus radicati, huic exclusive competant sexui: cum vero in diversas vitae sexualis periodos cadant, hinc morbi vir-

ginum, mulierum nuptarum, gravidarum (seu praegnantium) puerperarum, lactantium, effoetarum (seu vetularum) jam ab antiquis non absone nuncupabantur.

b) Apparet praeterea, quod ii quoque morbi, qui ceteroquin utrique sexui communes sunt, dum foeminam invadunt, peculiarem acquirant indolem, et characterem multum saepe diversum ab eo, quem in viris sortiuntur; quod porro certae morborum species jam ob organisationem distinctam, jam ob vitae genus per leges sociales foemellis impositum, atque a nostro toto coelo diversum; jam denique ob enormem apparatus genitalis mulierum in omnem vitam tam physicam, quam psychicam et moralem influxum multo frequentius occurrant hic, quam in viris; et haec est differentia, quam in hoc sexu invenimus pathologica.

Juxta hanc Gynaecologia quatenus ea morbos pertractat, ac scrutatur mulierum, longe majorem sibi vindicat ambitum, complectitur namque non modo morbos ita dictos sexuales, verum insuper omnes reliquorum morborum in hoc sexu differentias et modificationes.

Hic nihilominus ex respectu temporis et adjunctorum generalia tantum de vita mulierum tum physica quum psychica paucis adumbrare intendo.

Consideratio

Anatomico-physiologica et pathologica.

Caput primum.

A.

Quae sit constitutio et forma organorum sexualium in muliere, ex anatomicis jam innotuit; ita quoque noscimus ex physiologicis singularum partium et proportionem, et habitum; e. g. Staturam foeminae in genere humiliorem, caput minus voluminosum magis rotundatum, physiognomiam apertam, cum minori tamen ac in viris expressione, truncum longiorem, inprimis in vertebris colli, et lumborum, extremitates inferiores breviores, thoracem angustiorem, abdomen latius, amplius, plenius, pelvim majorem, cava ejus ampliora, et minus quam in viris compressa, ob vertebrarum lumbalium altitudinem corpus esse in genere gracilius, truncum pyramidi comparandum, cujus basis in pelvi, apex in thorace continetur, ossa tenuiora, et minus compacta, prominentiis et asperitatibus parum notabilibus obsita, musculos minus torosos esse et debiliores, et ob textus cellularis sub cute copiam minus apparentes, adipem albiorem, cutem teneriorem et candidiorem, et ut vasis capillaribus ditiorem, ita pilis, si capillos excipias pauperi-

orem, tandem contextum partium omnium, atque substantiam laxiorem et molliorem esse itidem constat.

Proprietatibus his physicis notabiles innituntur relate ad vitam animalem modificationes; et quidem sensibilitatem, irritabilitatem, et reproductionem pro supremis vitae animalis manifestationibus in sensu latiori sumentes momentosam ubique detegimus inter foeminam et virum diversitatem; e. g. relate ad sensus externos vix negari potest hos apud foeminam acutiores, et subtiliores in genere esse: sic cutis, vasis et nervis copiosis referta; et nonnisi tenui, atque nuda obtecta epidermide tactum et sensum admittit utique acutiorem, quam illa durior, et hirsuta viri, hinc magna foeminae erga frigus receptivitas, hinc vestimentorum mollium calorem foventium necessitas, ita cum gustu evenit; qui blandiores magis, ac dulces expetit cibos; ita cum olfactu, multos abhorrente odores viris caeteroquin gratos; ita cum reliquis auditu, visu, facilius sono, luce fortiore laedendis, ubique magna receptivitas, minor reagendi potentia.

Longe major relate ad sensum internum et in specie relate ad dotes intellectualas et morales observatur differentia; in foemina facultas sensitiva eminet super intellectualem, in viro haec super illam, ut adeo in vita morali mas per intellectum, foemina per sensus suos magis regatur. Sic e. g. dum vir libere mentem colit, artes exercet, in senatu sedet, aut impavidus et acer pericula quaerit; seriisque laboribus orbem sibi subjugare, et sublimi vertice sidera ferire pergit: pavida foemella domi suae solers curis aliis, atque longe mitioribus angitur, angitur tamen, namque amare, et sexui fortiori complacere, est summa ejus a teneris oblectatio et unicum desiderium; ad quod assequendum omnes ejus

concentrantur vires, et facultates; et reipsa, formae venustas, cum virium physicarum imbecillitate, ingenii alacritas, blandities, modestia, judicii acies, sensus justi ac decori subtilissimus non minus, ac versutilitas, et astutia, pervicacia, mutabilitas, animi levitas, et reliquae tam bonae, quam malae dotes, quibus e naturae instituto foemina prae viro pollet, sunt totidem arma ad destinationem suam assequendam, scilicet ad virum licet fortiorem conquirendum.

Ex eodem hoc facultatis sensitivae in foemina praedominio explicatur; cur voluntas ejus tam infirma, animus adeo mutabilis, ac in omnia, seu bona, seu mala tam proclivis cur fortitudo animi, atque constantia multo rarior hic, ac in viris: determinatur quippe voluntas foeminae fere semper per impressiones sensuales forinsecus illatas, et vix unquam per judicium sanae rationis. Ratiocinium, et profundior rerum lustrato, atque scrutinium eis denegatum videtur; et quemadmodum compagis corporeae, atque virium physicarum debilitas eas a gymnasio et hypodromo arcent, ita virium intellectualium inferioritas porticum eruditorum subire easdem vetant tamquam inhabiles ad severiora ingenii molimina-ut sunt: speculationes abstractae metaphysicae, mathematicae, juridicae, id quod non educationi, non vitae generi a nostro toto coelo diverso quis adtribuat, verum sexualitati pure adscribatur oportet; certe pauca quae contra hanc sententiam adduci possent exempla exceptionis adinstar deserviunt, veritatemque asserti confirmant potius quam infirmant, — producta enim quae exstant ingenii foeminei litteraria debilitatem genitricis suae in omni manifestant pagella. Ast artes quod concernit liberales, ut sunt: musica, pictura, poesis, ars mimica, saltatoria, has ad genium earum spectare admittimus, licet et in

his earum productis profunditas et robur fere semper desideretur. Vivida omnino est in hoc sexu facultas imaginandi, facile excitatur, cito abripitur, et rapide, sed non in altum volat.

Alacritas haec imaginationis etiam in vitam earum moralem et physicam transmigrat, eas inconstantes, credulas mutabiles, et iniquas saepe reddendo, et in sexcentos, quos eis tam crebro objicimus errores impellit, qui prout summa saepe gaudia, ita acerbas lacrymas in diem consciscunt.

B.

E magna hac systematis nervosi versatilitate explicamus frequentiam nevrosium in mulieribus, non consideratis illis, quae e systemate promanant uterino, huic adscribendam puto summam receptivitatem in ideas quascunque, etiam si absurdissimas, quibus versuti deceptores earum mentem adeo circumvenire, atque obscurare valent; hinc est, cur foeminae toties extasi laborent, et ultro quam fas sit saepe abripiantur enthusiasmo tam religioso, quam politico et morali; cur sibillae, divinatrices, sagae incantatrices, veneficae mulieres sint; cur denique medicastris, dummodo formam medici externe praeseferant, tam facile, tamque pertinaciter adhaereant; et cur virum caeteroquin strenuum, cultum, et probum, ob negligentiam formae exterioris, aut ob praetervisam vel semel in re levissima attentionem iis debitam tam graviter inculpent, et saepe dedignatione implacabili prosequantur.

Debilitas haec, nec non irritabilitas in sphaera sensibilitatis foeminae pari passu cum subtilitate sensus inter-

ni procedit; ut adeo, velut sensus externi foeminae, virorum asperiores sensus subtilitate saa praeveniant; ita sensus internus earum acumíne, prae rudiore virorum multum excellit; atqne hinc resultant non modo blandae, sed et egregiae illae animi dotes sexui huic exclusive a natura donatae, quae ni educatione et exemplis depraventur; sexum hunc et carum, et utilem et affabilem nobis reddunt. Observare namque est sensa et judicia ejus in rebus quotidianis sphaeram intellectus ejus haud superantibus et subtiliora, et accuratiora esse, videmus eas instinctu quodam infallibili duci ad dignoscendum quod aequum, justum et honestum est; fit ita, ut multa, quae in vita sociali conscientiam viri quotidie praetereunt, foemîneam raro effugiant, hac ratione superioritatem quamdam, si non dominium foemina prae viro suo adipiscitur; — huic tandem debetur excelsa quoque animi dos — misericordia, qua in egenos, adflictos ut infantes, infirmos, et omnis generis calamitosos tam nobili feruntur enthusiasmo; ast prout magna haec sensus interni receptivitas, et exaltatio foeminam proniorem reddit ad dira quaeque sacrificia ferenda, et miram saepe virtutis culturam prosequendam, ita ex adverso si male directa sit, eam procliviorem reddit ad turpissima, scandala et crudelissima facinora perpetranda.

Ex his caeteroquin rite expensis patet systema nervosum foeminae in omnibus suis manifestationibus tam intellectualibus, quam moralibus, ab illo virorum notabiliter differe, et vitam quodammodo aliam, atque propriam vivere, Polaris haec differentia utriusque sexus necessaria omnino videtur, ut vir, et foemina, unum efficiant totum morale, ut unus sine alia existere nequeat, ut sic, quasi quod uni deest, alter id suppleat, et error unius, alterius compensetur virtute, et vicissim; at-

que sic arctus ille, quem natura ad exequendum generationis scopum voluit nexus in specie nostra perennet.

Haec circiter de vita psychica muliarum

Quoad reliquas vitae animalis functiones pauciores nobis ocurrunt differentiae. Sic ob compagem osseam, artusque minores etiam vires musculares minores esse oportet. Major pelvis latitudo femoribus aliam impertitur directionem, et gressum foeminae modificat; eum minus validum, minus securum, atque durabilem reddit. Ob toracis minorem amplitudinem pulmones, et cor minora sunt. Larynx et trachea angustior, hinc vox una octava communiter altior, et minus aspera, atque fortior. Lingua magis volubilis, respiratio citatior, pulsus non ita magnus, et celerior ac in viris, hinc et circulus humorum velocior occurrit, Systema vasorum inprimis abdominalium egregie evolutum. Sanguis minus de fibrina, plus de sero continet. Incrementum corporis atque singulorum organorum evolutio multo citius suam assequitur metam. Puella pubescit anno 11 — 14 usque; puer a 14 — ad 18 usque, nec indiget constitutio corporis foeminei utique infirmior, atque tenerior longiori tempore ad suam evolutionem, est enim mulier respectu corporis sui intermedium quodammodo inter virum perfectum, et infantem perficiendum. Tandem relate ad temperamentum perhibemus, quatvor illa cardinalia organismi humani temperamenta in foemina minus clare se manifestare et quantumvis omnes foeminae unius ejusdemque temperiei haud sint, uniuscujusque temperamentum tamen individuale de charactere sexualitatis tantum participat, ut per hunc constans quidam, et indelebilis typus enascatur sexui huic ingenitus, relate ad quem major vulgo inter foeminas occurrit analogia, quam inter viros; etenim longe major- fortiorque est reactio, et influxus appara-

tus genitalis in organismum, et vitam mulierum, quam sit in illum virorum. Sexualis destinatio viri — est foecundare, quod sat brevi absolvitur negotio. Longe gravior est foeminae destinationem suam adimplentis functio in omnes reliquas tam vitae animalis, quam vegetativae functiones perquam strenue influens.

Tandem ultimam vitae animalis functionem somnum considerantes dicimus: ob majorem organismi teneritudinem, et psyches alacritatem etiam somno foeminas saepius indigere, cujus necessitatem reipsa frequentius experiuntur. Somnus interim non est ita profundus nec ita durabilis, ut in viris esse consvevit, et somniis perquam diversis pertextus, hinc quoque major in foeminis in somnambulismum observatur, et explicatur dispositio, qui et jam per influxus externos saepe nimis facile inducitur; nec ignoramus sexum hunc eminentissima pro magnetismo animali praebere substrata.

C.

Nec minor quoad tertiam vitae organicae manifestationem seu reproductionem occurrit inter utrumque sexum differentia; organa quippe digestionis ut e. g. dentes, de quibus paria ultima saepe vacant, — musculi masticationem, deglutitionem absolventes generatim debiliores sunt, — oesophagus et ventriculus angustior, hepar minus voluminosum ac in viris, hinc et fames in foeminis minus imperiosa, crebrior tamen esse consuevit appetitu breviori temporis intervallo recurrente, jejuniorum proinde strictissima per foeminas observantia, et mirabilia quae passim audiunt abstinentiae exempla nihil

theoriae nostrae derogant cum pathologicum magis quam physiologicum foeminae statum respiciant. Digestio itaque in foemina si non ita fortis ut in viro, alacrior nihilominus est, et exactior; etenim de pauciore nutrimento fertiliorem praeparat chymum, plus chyli largientem, unde certe copia major sanguinis, et humorum huic sexui largita explicatum habet; et prout assimilatio major in foemina locum habet, ita et partium amissarum restauratio hic multo promptius contingit; ob hunc finem certe est, ut systema vasorum capillarium inprimis lymphatiorum hic evolutum magis sit, et haec evolutio, atque prae reliquis systematibus praedominium efficit, ut hoc quoque systema prae alio frequetius morbis horripiatur, et cur scrofulosis, indurationes carcinomota, fluores, exsudationes, exanthemata saepius omnino in foemina, quam in viris occurrant; — cur constitutio athmosphaerae, aut anni tempestas humida, frigida sanitati foeminarum prae virorum magis inimica sit, — cur aestate, aut sub zona torrida, et sicca minus periclitentur quam viri, ? — Partes namque humidae in corpore foeminae multum exuberant solidas; hinc humiditas, et mollities ad praecipuas organismi foeminei qualitates spectant; velut siccitas, et formae asperitas. corpus designat virile, nec secus: producta enim assimilationis in foemina nunquam eum attingunt perfectionis gradum, quem in viro consequitur, in quo circumscripta magis occurrit reproductionis facultas, altius tamen modificata est, indolem animalisationis adeptae perfectius retinens; hinc est: quod mucus, aut adeps, producta scilicet animalia inferioris ordinis largius in foeminis occurrant, ac in viris; quod cellulosa laxior in iis sit, quam in his; quod viri rarius pinguescant, et fere nunquam sine labe virium vitalium pregressa, fereque semper cum manifesto virilitatis suae

detrimento hoc occurrit; conditiones enim illae quae foeminas pinguescere faciunt, in viris sanis plethoram potius cum energiae vitalis exaltatione progignunt, seu dispositionem inflammatoriam, imo saepe ipsam inflammationem. Non sequitur tamen hinc pinguedinem in sexu altero frequentius occurrentem ad statum ejus normalem pertinere, neque omnino credimus majorem adipis in quocunque corpore accumulationem morbosam non esse; sed hoc solum indigitare adnitimur, quod major sit organismo communis erga res externas — seu stimuli sint, seu nutrimenta rereptivitas, ob quam alimenta quoeque in sphaeram ejus delate, hic quidem digeri, digesta accumulari, nequaquam tamen ita perfecte assimilari solent, ut in corpore viri intaminati id fieri videmus; in quo praecipuus facultatis reproductivae nisus, atque ultimus scopus is est; ut partes - corporis petficiantur, aut perfectae jam in sua conserventur integritate, et harmonico consensu, omnia vero superflua, aut peregrina ab eo arceantur; ipsae genitalium functiones suo tempore in juvene apparentes in hunc solummodo scopum a natura directae videntur. Limites proin multo strictiores reproductioni positi sunt in viro, quamobrem corpus quoque ejusdem arretos magis, ac defiuitos tuetur limites. Alia relate ad haec est individualitas foeminae enimvero a nativitate usque amos pubertatis communis, et eadem est utriusque sexus quoad vegetationem indoles; omnis virium vitalium nisus unice ad normalem corporis evolutionem, et perfectionem individualem directus est, utprimum puer atque puella annos egrediuntur pubertatis, alia, atque diversa erit vita utriusque vegetativa, ibi meram partium efformatarum conservationem, et incolumitatem, hic praeter corporis conservationem et incolumitatem etiam novae speciei productionem provida molitur natura: in corpore

quippe foeminae perfecte evoluto videmus apparatum genitalem separatum systema constituere onganorum, quorum functiones minus in corporis integritatem, quam potius in alterius, novi scilicet individui productionem directae sunt; ast cum systemata haec organica sexualia pro se sola haud suffiiciant, ad proferenda hujusmodi producta necesse est: ut in ipso processu vitali cujuslibet foeminae ingenita sit vis hujusmodi, quae vis propagativa, genitrix et formativa passim audit, cujus eradiatio nova constituit individua, quae clarissime se nobis manifestat in peculiari vita typica apparatus sexualis foeminae. Hinc certe explicatum habet secretio, et excretio sanguinis menstrua in muliere, seu periodica nisus propagativi manifestatio, nec non salutaris pro aliquo tempore derivatio, hinc enormes illae uteri ad excludendum foetum vires; — hinc nutritionem germinis foecundati, tam magnam materiae plasticae quantitatem exposcentis, hinc andem nobilissimae ad nutriendum gnatum lymphae per mammas secretae consistentiam explicamus, et cur copiosa haec atque ingens materiae, et virium vitalium profusio absque omni plane integritatis physicae detrimento quin imo cum emolumento contingat. Ex his itaque facile intelligimus vitam foeminae vegetativam unicam licet, duplici tamen absolvi sphaera; quarum altera cum nostra coincidit, et existentiam ejus individualem amplectitur, altera sexualem ejus moderatur activitatem.

Summa vitalitatis seu activitatis organicae viri extrorsum directa est, et in strenuo cum mundo externo existit conflictu, quem receptivitas minor, et reactio fortior ac constantior comitantur. In foeminis quo major receptivitas, assimilandi atque producendi vis: eo minor et debilior est reagendi potestas; quod tamen de sphaera seu

vita sexualitatis ejusdem intelligere nefas est; vita namque mulieris est intensive reipsa fortior, illa viri magis extensiva est. Vir superfluum virium suarum, et facultatum, in mundum dirigit externum ad producta tam physica, quam intellectualia in lucem ferenda, mulier superfluum activitatis suae vitalis in se concentrat, atque recondit; ut inde novum procrearet suae speciei surculum. Tertia itaque vitae manifestatio seu facultas vegetativa, in muliere palmam reliquis praeripit, et illam viri una superat sphaera. Quod reliquas attinet muliebris organismi functiones, ut sunt: secretiones, excretiones e. g. cutis et organorum uropoeticorum, dicimus: has in genere esse pauciores, sic rarius et multo minus sudat foemina, ac vir; sudor ejus odoris acidiusculi, plerumque urinam rarius mittit, et pauciori relative quantitate. In oles urinarum mitior est non ita substantiosa ac in viris, sed albior, limpidior, et salibus minus inpraegnata, inde etiam minor dispositio sexus hujus ad lythiasim explicari potest, idque eo a fortiori, quod si quis etiam in vesica foeminae formari incipiat calculus; is ob breviorem, rectiorem, et ampliorem urethram facilius ante majorem sui efformationem eliminari potest. Summi [illegible]ique momenti pro muliere secretio, atque excretio, nec non propria atque individua organismo ejus sunt catamenia aliter fluxus menstruus, menstrua, menses.

Caput secundum.

Observationes quaedam in Pathol. et Therap. sexus sequioris.

Obs. 1. Proprii virium vitalium tenores in foemina tum relate ad vitam organicam, tum animalem hactenus

considerati nobis morbos sexus hujus rationaliter indagantibus praelucere ubique debebunt, et in adornanda therapia praesto esse, vita namque in statu sano aliter constituta, etiam dum a norma deflectit, seu morbosa evadit aliter deflectere, aliter constituta esse debebit; hoc est: diversitas physiologica, diversitatem pathologicam nos admittere jubet.

Obs. 2. Individualitas sexualis foeminae plurimas constituit morborum complicationes, et compositiones, sic in specie omnis, et quiscunque morbus in foemina, qui longius excurrit, cum functionibus illius sexualibus fere semper in relationem venit mutuam, seu quod idem est, complicatus evadit; complicatio haec diversa est pro diversitate functionis illius sexualis, cui morbus recte supervenerat, frequentissime, seu brevissimo intervallo recurrens functio sexualis, est secretio, ac excretio mensium; haec itaque etiam frequentissime cum quovis morbo fere muliebri in collisionem venit, jam supprimitur, tollitur, alienatur, profusa, aut parca, aut irregularis redditur,

Obs. 3, Suppressio nihilominus secretionis hujus periodicae occasione morbi cujusdam, nequaquam semper ut morbosum spectari debebit phoenomenon, per morbum namque universalem praesentem vita vegetativa e. g: digestio, chyli- et sanguificatio saepe ita languere potest, ut humoris vitalis per uterum excernendi hic omnino penuria enascatur, aut esse etiam potest, ut energia vitae sexualis per morbum, nec non autocratiam naturae in sphaeram vitae individualis abripatur, et exaltetur; atque sic dein languor et suppressio enascitur catameniorum, quin tamen morbosa haec sit metastasia, quae nil profecto aliud est, quam salutaris sequela morbi universalis.

Obs. 4. Si conditiones omnes fluxum menstruum sollicitantes adfuerint, et hic proximus eruptioni per morbum quemdam supervenientem impeditur, aut in suo plane cohibetur fluxu, tunc sanguis excernendus una cum nisu plastico aliam acquirunt directionem, et retenta in organismo materiae peregrinae adinstar agunt, reaguntque, potentian efficiendo novam, quae morbum praesentem modificat, alterat; — seu [quod idem est: talia progignit phoenomena, quae ad morbum universalem, seu prothopaticum secus haud spectant, hunc itaque in sexualem ponit relationem seu complicationem. Si vero conditiones defuerint catamenia sustentantes: ut in cacheticis, morbo chronico affectis hoc saepe numero est; natura interim ex consvetudine prisca typum suum retinuerit; sequetur: ut periodico hoc tempore in sphaera sexuali adsint nisus, et molimina, licet irrita plerumque et imperfecta, statum tamen morbosum praesentem molestant, faciemque ejus pro tempore immutant. Saepe ob eamdem — hanc secretionis, et excretionis in utero consvetudinem, et vitae sexualis praepotentiam nec per gravissimos saepe morbos infringendam, catamenia suam retinent periodum, licet nil prorsus supperflui, atque excernendi in organismo generetur cachectio. Sequela complicationis hujusmodi est exhaustio virium, enervatio, exinanitio. Tandem influxus noxii in ipsa genitalia agere; et functionem hic alienatam producere eo recte tempore possunt, quo aliae potentiae morbificae ita in reliqua influunt organismi atria, ut ibio alium excitent processum, et quidem simultanee cum priori; tunc duo in organismo uno componuntur morbi, et quidem diversi.

Obs. 5. Quae per catamenia frequentissime in foemina enascuntur morborum complicationes; etiam per

graviditatem, partum, puerperium, et lactationem contingere possunt, eandem prorsus habebunt explicationem.

Obs. 6. Sexualis foeminae vita non modo frequentes cum morbis constituit complicationes, verum etiam in pathogeniam, decursum, exitum cujuslibet morbi potenter influit, et quidem.

1. Relate ad originem (seu pathogeniam) morborum dicimus: foeminam in genere potentiis morbificis et facilius, et frequentius affici ac virum, organismo illius individuali influxibus externis minus fortiter renitente. Hinc videmus mulieres saepius aegrotantes et talibus fere succumbere potentiis, quae viro iisdem exposito parum, aut minime saltem nocent. Facillima est haec morborum genesis in foemina praecipue tunc; dum vita ejusdem in sphaera sexuali exaltata occurrit. Inde est: quod menstruantes tam facile jam refrigerio, jam incalescentia, pathemate animi, aut alio quocunque errore labefactentur. Hinc est: cur gravidae, parturientes, puerperae ut ut integerrimae toties indigeant ope medica. Interim licet major sit organismi foeminei debilitas, et morborum in illo tanta sit frequentia: ut jam Helmontius asserat: „foeminam omnem bis pati morbum" — licet porro causa minor in corpus earum agens majores inducat effectus, qui ob sensibilitatem alacriorem in omnia tam facilè se repandunt organismi systemata; — licet porro nevrosibus, spasmis, et convulsionibus crebrius divexentur, vita vero uterina in omnis vitae animalis et organicae functiones tam potenter influat, et reagat: ut cum Hypocrate dicere fas sit: „uterum sexcentarum aerumnarum, et omnium morborum causam indulgere"; ex his tamen minime sequitur foeminam in omnem morborum, genus nostrum affligentium speciem aequali pro-

nitate inclinare; experientia etenim docet non raros existere morbos, inprimis climaticos, quibus organismus muliebris multo fortius resistit, ac ille virorum; in illis vero affectionibus morbosis, quae cum vita earum sexuali in relatione et nexu sunt, tantum omnino natura muliebris tollere valet, quantum energia virilis superando nequaquam est. Praeter haec etiam diathesim inflammatoriam frequentius in hoc sexu occurrere vix dubitabimus; si digestionem exactiorem, haematogenesim alacriorem, cordis item, et vasorum irritabilitatem majorem, laticisque vitalis circulum rapidiorem expenderimus. Provida rerum genitrix natura promanandae hinc ad inflammationem dispositioni occurrebat quidem, dum apparatui genitali peculiares injunxisset functiones; ubi tamen e quacunque causa naturae occurritur voluntati; ubi videlicet functiones sexuales aut alterantur, — aut etiam ubi justo plus earum intenditur activitas; ibi facile se omnino explicat nisus ad phlogoses; id quod triplici inprimis occasione medico practico observare licet: nempe tempore instantium catameniorum, dein primis conceptionis septimanis; dum exaltatus nisus plasticus ob modicam embryonis consumtionem minus componitur, denique post absolutum partum in iis matribus, quae ubera natis suis denegant; nisi haemorrhagia spontanea, atque salutaris, matrum hoc compensaverit delictum. Tribus his vitae sexualis periodis morbi occurrentes in ipsis individuis debilioribus, cachecticis, characterem induere amant inflammatorium. Tandem e motu sanguinis celeriori, vasorum vero teneritudine, et resistentia minori, explicamus majorem haemorrhagiam, et profluviorum in muliere frequentiam.

2. Non absimili modo relate ad decursum morborum occurrit differentia, equidem sensibilitas facilius commo-

venda propagationem propensionis morbosae nimiopere accelerat, consensum, atque sympathiam vividissimam omnium partium excitando uni eidemque saepe morbo novam atque diversam impertitur formam; sic e. g. morbi acuti in foemina decursum in genere tenent rapidiorem, tumultuosum, nec tam ordinatum quam in viris: ut adeo typus eorum nec ita constans, nec a priori facile determinandus sit; languente vero ob morbum quemcunque in foemina nutritione, summum confestim observamus turgoris vitalis — massae videlicet, ac virium decrementum; facilius tamen, celeriusque quam in corpore virili restaurandum. Hoc idem cum morbis sic dictis chronicis est, quibuscum foemina diutius, colluctari multo valet: idque eo diutius, quo magis vita sexualis per morbum consopita est; videtur namque in tali casu energia reproductiva in systemate sexuali sufflaminata in sphaeram abripi individualem; ut sic quasi vitae, cum morbo conflictantis favilla diutius per morbum nutriretur. Contrarium huic prorsus evenit: si praesente morbo chronico vitae deleterio genitalia jure suo fungi continuent; existunt quidem casus haud rari, in quibus superveniente graviditate processus morbosus imminuitur, suspenditur; fit hoc: quia vis omnis vitalis foeminae in sphaeram sexualem, tunc convertitur in foetus efformationem; quo tamen formato, editoque utraque saepe exinanitur vita. Inflammationum non, aut male curatarum terminus in muliere, sunt rarius gangraena, et sphacelus, quam phthyses et exsudatinoes. Exsudatio serosa frequentior, quam lymphatica est. Secretiones hae morbosae enormes saepe esse, et diu persistere possunt sine multa massae corporis jactura.

3-o. Tandem relate ad exitum morborum videmus, morbos generatim minus perfecte judicari in foemina. Causam hujus potissimam in mutua vitae individualis

cum sexuali correlatione collocatam credimus et existimamus, explicamusque per antagonismum, sic: non raro evenit, ut morbos diversissimos sine crisi manifesta in foemina dissipari observemus, atque evanescere; sed toties fere videre etiam est systema sexuale in foemina labefactari, et catervam malorum in ea generari, quin affectionum hujusmodi nota sit origo, causaque excitans; quae certe non alibi quaerenda est, quam in morbo aliquo universali praegresso, neque crisi salutari tunc perfecte judicato; hinc aperte liquet: systema uterinum saepe focum praebere morbis universalibus, qui per translocationem, seu metastasim ibi enati aliam succesive induunt formam, et decursum assumunt inprimis chronicum. — Ita ex adverso saepius evenit, ut morbi universales in foemina, si perfecte judicentur, energiam vitae sexualis jam labefactent, jam etiam pessumdent; ac si autochretia naturae, ut superaret morbum, hujus implorasset opem, quae ita pessumdata varias in organismo suscitat anomalias, non prius tollendas, quam vigor systematis sexualis in pristinum arte nostra reducatur statum. Per eundem hunc antagonismum vitae uterinae etiam explicatur: cur tot foeminarum molestiae, affectiones morbosae per excitatam, et in vitam altiorem evocatam functionem sexualem tam prompte saepe sanentur; cur e. g. chlorosis, incubus, catalepsis, syncope, chorea sancti Vithi per eruptionem mensium, cur somnambulismus, ecstasis, hysteriasis, mania, melancholia, furor uterinus, epilepsia hysterica, tam saepe tollantur matrimonio, conceptione et graviditate; ita plane morbos febriles acutos, et inflammatorios, per fluxum mensium aegram ex abrupto invadentem sufflamminari, non una vice experimur; ut adeo negare haud possimus: crisim morborum in muliere non raro in apparatu sexuali, et per eum jam mediate, jam immediate con-

tingere, sicque notabilem esse etiam quoad exitum morborum in utroque sexu diversitatem, quod medicum practicum non lateat unquam, licet raro tantum in ejus versatur potentia nutum naturae salutarem relate ad haec ita dirigendi, ut physica et moralis in quolibet casu exposceret necessitas. — Sunt deinum cautelae quaedam et respectus singulares medico observandae, dum therapiam morbi cujusdam in hoc sexu sibi occurrentem adgreditur; et quidem:

a) Respiciat aetatem; hoc est an aegra periodum pubescentiae superaverit, an in hac nunc recte versetur, utrum in flore sit aetatis sexualis, aut jam ex eo declinet quintam ingressa decadem.

b) In puella pubescente multae, et diversissimae, nec facile enumerandae affectiones atque anomaliae saepe nihil aliud, quam vitae sexualis semet explicantis phoenomena sunt; hoc est: pugnae — seu conflictus alicujus indicia, cujus ope vita sexualis semet ab individuali avellere, et propriam sibi, ac separatam in organismo provinciam vindicare nititur; omnis, medici huc accersiti activitas unice in solutionem impedimentorum directa sit oportet, methodus passiva hic quoque reliquis palmam praeripit eo a fortiori; cum frequentissime violentas has turbas sine medico, sine medicina compesci, et evanescere videamus.

b) In foeminis florem vitae suae agentibus, atque morbo quodam conflictantibus respiciatur et investigetur prae caeteris status catameniorum. Qualiter videlicet haec constituta, quam teneant periodum, an recto ingruant tempore, an in fluxu moderato constituta sint, an non suppressa fuerint; si forsan diutius justo abessent, hujus inquiratur ratio, et graviditatis, tam facile possibilis, ne unquam immemor sit medicus; notum enim est, quot, e

quantas status praegnationis in certis individuis excitet molestias, quae seorsim spectatae, ab incanto, facile pro malo haberi possunt distincto; cui errori partim astutia, et levitas, pro parte verecundia, et metus sexui huic adeo familiaria, multum saepe opitulantur.

d) Molestiae tandem in annos foeminae climactericos recidentes, eadem subtilitate, et ingenii practici acie a nobis pensitentur, et tanto minus vilipendantur, quanto saepius a recta, aut falsa earum a medico adprehensione, et tractamine, dependeant omnia reliquae vitae aut commoda, aut incommoda.

e) In administrandis vero pharmacis, virium vitalium tenores in muliere inprimis sensibilitas, irritabilitas ejus exposcunt: ut stimuli necessarii dosi applicentur minori, idque temporis intervallo breviori; cum et citius eorum exhauriatur actio. Hoc idem in subtractione stimulorum practico observandum erit, impetus namque fortior et activitas tumultuosa citius nocebunt foeminae, quam viro. In sanguinis quoque evacuatione ad compescendas phlogoses modum teneamus eo strictiorem, cum artificialis profusio laticis vitalis pertinaces post se trahat amenorrhoeas, sterilitatem, leucorrhaeam. Attamen in contrarium facile induceremur errorem, si hujusmodi memores regulae, per apparentem debilitatem, aut per symptomata nervosa, in quovis morbo muliebri tam facile praesentia seducti, a methodo antiphlogistica justo citius deflecteremus; cum haec methodus multo crebrius omnino in foemina, quam in viro suam inveniat applicationem, inprimis sub tribus supra memoratis vitae sexualis periodis; quo tempore debiliora quoque individua non raro sthenicos experiuntur morbos.

f) Nec perterreat medicum practicum foeminam saepius idiosyncrasiis laborare, hasque certis, notisque tem-

poribus se fortius exerere. Ita quoque antagonismi, atque consensus in vitam individualem, et uterinam rite memor, ne unquam inducatur morbum universalem, cujus symptomata celeriter decrescunt, qua perfecte sanatum declarare; nam id tunc absque errore fieri posset, si post reliquam func ionum vitalium in corpore a morbo exantlato restitutionem, etiam uterus suo defungi negotio ultro pergat.

g) Morbi ita dicti nervosi rarius exposcunt remedia sic dicta nervina, cum affectiones, et pathemata animi, imaginatio et voluntas tam forte ut vidimus in corpus foemineum exerant imperium; ut inde fons nevrosium aperiatur foecundissimus, — facile hinc liquet turbas quoque systematis nervosi minus remediis parere nervinis et physicis, quam potius moralibus et psychicis. Status itaque psychicus prout causa malorum, ita et remedium eorum esse, omnino potest.

h) Eadem animi irritabilitas, et ingenii pervicacia efficit, ut de sensationibus saepe levissimis, amarissime querulentur, symptomata vero gravissima, et essentialia saepe, atque momentosa, medico suo reticeant, aut obiter saltem ea commendent. Ne igitur in errorem invitus inducatar medicus, relationes foeminae de statu suo attenta quidem, et perfecta aure excipere, magni tamen facere nunquam oportebit; satius erit e dictis tacita mente combinatis, ad non dicta concludere, et statum corporis praesentem, cum virium physicarum tenore prae reliquis pensitare, culturae vero, et moralitatis gradum, nec non vitae socialis, et adjunctorum tam externorum quam domesticorum indolem, aliaque simul respicere; quae si sapienter noverit medicus, iisque in rem suam uti sciverit, plus eum profecto juvabunt, quam exquisitissima eruditio, et pharmacorum omnigena cognitio.

i) Eadem exaggeratione, et eadem indulgentia, seu incuria, qua foemina statum corporis sui medico manifestat, prorsus medici sui praescriptiones tractare consuevit; debet itaque medicus in coordinationibus suis therapeuticis ante omnia clarus, dein firmus, severus, et consequens esse, neque expedit voluntati illius vel semel subscribere, aut de jam prolato vel ungue recedere, nam quod semel indultum feminae fuerit, id facile et centies sibi arrogabit.

k) E longa serie symptomatum, de quibus sexus sequior in suis morbis nobis conqueri amat, primum, atque frequentissimum est sensus debilitatis; ex hac tamen nobis manifestata, et impense commendata sensatione ad veram concludere debilitatem asthenicam seu directam, seu indirectam, nimisquam erroneum foret; itaque etiam remedia roborantia non prius in usum venient therapeuticum, quam, dum ex omnibus phoenomenis stricte inter se combinatis virium status reipsa languens in conspectum venerit, tuncque ad statum hunc in muliere sufferendum e classe remediorum roborantium mitiora duntaxat sufficient, doses vero eorum parciores eundem praestabunt semper effectum, quem largiores multo in organismo virili caeteris paribus vix praestant.



Theses.

1) Morbi mulierum peculiarem constituunt seriem.
2) Catamenia mulierum et in makrokosmo, et in ipsa natura organismi causam sui proximam habent.
3) Mater, quae sobolem suam lactat; et sanitati, et venustati suae consulit.
4) Uterus in valetudinem foeminae secundum summum exerit influxum.
5) In partu ancipiti valet, parce matri, proli ni parcere possis.
6) Lacti matris nullum aliud idonee substituitur.
7) Medicus prudens, et bene cordatus imbecillitati mulierum nunquam plus justo indulgebit.
8) Dolor, et voluptas duo sunt vitae custodes; et tendit utrumque in vitae exitium dum nimium est.
9) In sanandis sinuosis ulceribus tutissimum remedium culter.
10) Rationale negativum post operationes chirurgicas tractamen magni momenti.
11) Summa medici virtus humanitas, haud minor taciturnitas.
12) Mors nulla in rerum natura existit.